



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Indictio, Acta & Decreta Synodi Diœcesanæ Paderbornensis

Diözese <Paderborn>

Nevhvsii, [1688]

Tit. V. De Scholis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36013

TITULUS V.

De Scholis,

1.

IN Oppidis & Pagis Parochiales scholæ si collapsæ sint, restituantur, si conservatæ colantur & augeantur, sed præter Parochiales non admittantur multæ, nullæ autem omnino de novo instituantur, nisi de consensu Episcopi vel Vicarij.

2. Scholis tantùm præficiantur Præceptores probi & examinati, ac qui fidei Catholicæ secundùm præscriptum Concilij Tridentini integram Professionem fecerint, In Institutione sequantur antiquam & probatam formam, ac Juventutem sibi concreditam omnium primò Orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Symbolum fidei, decalogum & formulam Confessionis, si nesciant, linguâ vernaculâ edoceant.

3. Ad petulantiam cohibendam in omnibus Parochijs Masculi à puellis, quantum fieri potest, seorsim instituantur, atque puellis una aut altera honesta Matrona præficiatur.

4. Ex bona educatione ac Institutione Juventutis pender pro magna parte salus totius Reipublicæ, quapropter ubicunq; scholæ adhuc requiruntur, deliberandum cum Magistratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, simulque rationem ineant, ipsis Ludimagistris de annuis stipendijs providendi.

5. Pastores tam è suggestu, quàm privatim parentes frequenter admoneant, ut ad scholas pueros suos mittant, & si negligentes reperiantur, ad id per Magistratus & Præfectos locorum sine conniventia compellantur.

6. Scholæ omnes ab ijs, quibus id oneris incumbit, aut alijs ad id ab Ordinario deputatis crebrò serioque visitentur,

7. Nec ulli omninò libri in ijs prælegantur, qui turpe aut obscenum quid contineant, quique à Nobis approbati non sint.

8. Insuper hortatur hæc Synodus, ut in Scholis latinis doceatur Cantus Gregorianus.

9. Nec non ut Ludimagistri & Ludimagistræ scholarum, linguæ vernaculæ Juventutem suam statis diebus ad lectionem Catechisticam, diebus vero dominicis & festivis ad Missam Parochialem deducant, eosque ibidem in Officio contineant.

10. Scholæ sint in loco aliquo commodo juxta templum, ut tam Præceptores quàm discipuli frequentissimè à Pastoribus alijsque observari & in Religionis nostræ initijs commodius exerceri possint.

11. Ludimagister & Ludimagistræ constituantur à Pastore, Magistratu & primarijs Parochiæ Incolis, cum consensu tamen & approbatione Archidiaconorum, sine quorum consensu etiam non destituantur.

12. Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera ætas in pietate & morum modestiâ instituat, ipsique Magistri bono vitæ suæ exemplo discipulos ad virtutem provocent, & ab omni tabernarum frequentatione alijsque levitatibus abstineant.

TITULUS VI.

De Officio divino.

1.

Cùm in Officio divino negotium Nobis sit cum Deo ipso, qui Rex Regum est & Dominus Dominantium; hinc est, quod quæcunque Sacrosanctum Concilium Tridentinum statuit & ordinavit de Officio divino debite peragendò, illa omnia hæc Synodus mandet strictè observari.

2. Ante